

D. T. A!
DIATRIBEN METAPHYSICAM
De
AFFECTIONIBUS
ENTIS IN GENERE,
INDULGENTE INCLUTO AMPLISSIMI
Philosophorum Ordinis Senatu,
In florentissimâ ad Plissam Academîâ,
SUB PRÆSIDIO
VIRI Clarissimi
DN.M. VALENTINI FRIDERICI
S.S. Theol. Baccalaurei, Facultatis Philos.
Adseessoris, Præceptoris sui omni honoris
ac observantiæ cultu maxumè
devenerandi,
Placidæ Præceptorum aliorumve Eruditorum
Exortatio subjicit
In Auditorio Majoris Principum Collegii
Ad diem VIII. Calend. Febr. cl. loc. LXVIII.
JOHANNES LUCIUS, a. XXXVI. 50.
Dresd. Misn.
AUTOR ET RESPONDENS.

Coll. diss. A
36, 50

LIPSIÆ, *PIRO* Corfens.
Literis JOHANNIS ERICI HAHNII. *DN. ANDREÆ* Herren
56. *Coriolanus Bertholini,*
Amicu quodam Academici m. isti
Profer.



TRINUNO FORTU- NANTE!

§. I.

um nihil sit , qvod nobis viam obstrue- ανευ τρόποις
μίσ
re possit , qvin statim post-habito omni Præ-
loqvio negotium ipsum σὺ Θεῷ aggredi que-
amus , planissimā videbimus incedere viā , si
ea præcepta observabimus , qvæ tradita inveni-
mus ab omnibus εὐπεθόδοις .

II. Quemadmodum enim hi , inutilibus & qvæ nihil ad Methodista-
rum Lex.
Rhombum resectis , à qvæstione , An sit , statim inchoari præcipi-
unt : Ita nos præsenti in materiâ obsecuti ipsis è vestigio signi-
ficamus qvæstionem istam ,

III. An igitur sint Entis affectiones , nos non dubitamus An sicut ?
suffulti cùm authoritate Philosophi , qui 4. Metaphys. c. 1. § 2.
illas dñi afferit ; tum ratione partim à priori , qvia Enti compe-
tunt aliquid , qvæ cum ipso reciprocantur , nec tamen sunt primus
ejus conceptus , sed primum conceptum seqvuntur . Unum enim ,
Verum , Bonum &c. qvæ cum Ente reciprocantur , attributa , pri-
mus Entis conceptus non sunt , qvia prius in Ente concipitur ,
qvòd careat terminis repugnantibus s. qvòd non repugnet exi-
stere , qvàm Unum , Verum , Bonum &c. esse accipiatur : Partim
à posteriori , qvia Unum , Verum , Bonum &c: ita se habent ad
Ens , ut demonstrari possint . At non demonstrantur , nisi affe-
ctiones .

IV. Nunc ad qvæstionem quid sit , qvæ tam definitionem Definitio no-
όνοματολογίκην qvàm περιγματολογίκην involvit , methodi minalis .

A 2

bona

bonæ tenaces ferimur. Quarum ista Etymologiâ, Synonymiâ & Homonymiâ absolvitur. De singulis ut sequitur.

Etymologiz.

V. De impositione vocis vel pueris non ignotâ non est cur multa verba faciamus. Qvis enim affectiones ab affiendo nomen acceptas, ignorat? Qvia Ens afficiant, ut jam dicatur Unum, jam bonum, jam actu jam potentia &c.

Synonymia.

1) Attributa.

VI. Variis porrò affectiones appellari nominibus, similiiter tam notum est, quam quod notissimum. Dicuntur 1) *Attributa*, quam denominationem præ aliis sibi placere *B. Stalii* in *discursu ad tabulas Metaphysicas* pag. 39. asserit.

2) Passiones.

VII. Dicuntur 2) *Passiones*. Petrus quidem *Hurtadus de Mendoza* in *disputationibus suis ad Metaphysicam disp. 3: de Entis attrib. in communi*, sect. 1. sicut & *Arringa disp. 1. Metaphys. sect. 2.* inter attributa & passiones discrimen agnoscunt putantque, attributa esse, quæ non realiter ab Ente differant; Passiones vero realiter differre. Ita enim inter attributum, inquit *Mendoza*, & essentiam debet esse distinctio: Si haec distinctio sit à parte rei, ut inter ignem & calorem, materiam & quantitatem, non vocatur attributum, sed propria passio; Quod si illa distinctio non sit à parte rei, sed tantum per nostrum intellectum, idem objectum diversimodè denominantem; tunc non vocatur passio, sed attributum. Verum enim vero licet praediti Metaphysici sic distinguant; nobis tamen prajudicium eorum nihil prajudicat, eò quod terminum *Passionum* capiamus in significatu eo, quatenus attributa ad modum παθῶν à nobis concipientur, explicitur, praedicentur.

3) Essentialia
Consequen-
tia.

4) Propria.

VIII. Dicuntur 3) *essentialia consequentia*, quæ sc. Ens, jam in suâ essentiâ constitutum, necessariò consequuntur.

IX. Hinc dicuntur 4. *propria* (latè hoc termino accepto) quia paronymicè de Ente praedicantur, non quidem praedicaliter, sicut enim forent vel propria rigorosè talia, vel accidentia; sed eminenter, quomodo transcendentalia amant praedicari. Non enim inter Ens strictè & affectiones ejus intercedit convenientia nominis & rei, seu definitum & definitionem non participant ipsum Ens & affectiones quâ tales, cum hæ formaliter ab Ente differant. Quæcunque vero à subjecto definitivè distin-

distinguntur, ita ut illam ipsam definitionem subjecti recipere nequeant, illa omnino paronymicè prædicantur.

X. Breviter: Propria dicuntur affectiones non in oppositione ad Genus, nec in oppositione ad speciem, nec in oppositione ad differentiam, nec in oppositione ad accidens, sed in oppositione ad metaphorica seu impropria attributa. Longè alia est ratio, quando dicimus: Ens est bonum, quam cum dicimus: Herodes est vulpes; Nero est leo.

XI. Dicuntur 5) Unitivè contenta in Ente, & quidem non 5) Unitivè ut superiora, v. g. Substantia, Corpus, Vivum, Animal respe- contenta. ctu hominis ut continentis; Sed ut inferiora eatenus, quatenus ex continente fluunt per naturæ seqvelam.

XII. Dicuntur 6) Adjuncta, quæ Oratores sumunt pro 6) Adjuncta iis, quæ sunt aliis associata vel addita. Est illa adjectiva significatio. Aliter adjunctum in oppositione ad subjectum est, id quod subiecto opponitur, seu quod adjungitur alii, sumiturque ea vox ex Cicerone in Topicis pag. 222. seqq. Sic & in lib. de legib. quando dicit: Hostiâ maximâ parentare, pietatis adjunctum est.

XIII. Dicuntur 7.) transcendentia, quia transcendunt 7) Transcen- omnia, non quidem entis nobilitate, quo respectu DEUS tran- dentia. scendit, sed prædicationis latitudine, quia de omnibus rebus prædicantur, cum sint conceptus universalissimi.

XIV. Dicuntur denique 8) modi entis, sumto termino 8) Modi entis non pro modis speciatim dictis, de quibus consule Sparez. 7. disp. Metaphys. sect. 1. num. 17. sed pro modis sufficientibus ens intrinsecè. Dico sufficientibus, non enim hi faciunt ens aliud, sed ut sit aliter vel affectum vel determinatum.

XV. Varias adductas appellations excipit nunc varia Homonymia, vocis acceptio. Missis vero Theologorum acceptationibus Affe- Theologicè. ctionum, ut quibus significat vel infirmam humanæ naturæ con- ditionem Jac. 5, 17. Actor. 14, 15: vel pravas animi passiones, Num. 5, 4. Rom. 1, 26. De Philosophicis dicere jam habe- mus.

XVI. Sumitur autem affectionum vox Philosophis impi- Philosophicè. mis dupliciter 1) pressè, quibus sequentes competunt conditio- 1) strictè.

nes juxta Svarezium dis^p. Metaphys. 3. sect. 2. & seqq. ubi vult; ut affectiones sint res aliqua, ut distingvantur ex naturâ rei ab illo, cuius sunt proprietates, ut adæqvate illis convenient, ut subjecta non sint de intrinsecâ ratione & essentiâ talium proprietatum.

¶) Latè.

XVII. 2) Latè, cum ampliatur terminus affectionum. Sic affectiones dici etiam merentur, licet non sint res, modò realē qvid seu modus rei, licet etiam non realiter differant à subjectis suis, hoc enim non reqviritur ad affectionem απλως, sed ad talem vel talem, sufficit peculiaris conceptibilitas, distincta à conceptibilitate subjecti: Sufficit qvòd conseqvantur ac reciprocantur. Atqve hujusmodi affectiones sunt transcendentiales, de qvibus hoc loco.

Definitio rea-
lis.

Insufficientes

Sufficiens.

Definitionis
explicatio.

XVIII. Definitione ὀνοματολογιῆ absolutâ, seqvitur nunc πραγματολογιῆ. Definiuntur affectiones à nonnullis, qvòd sint proprietates Entis, qvæ, cùm reciprocentur cum subjecto, cuius dicuntur proprietates, non sunt de essentiâ ejus i. e., non sunt de primo conceptu: Sed postqvam jam ea, qvæ ad primum conceptum pertinent, concepta sunt, concipiuntur. Juxta alios Affectiones entis nihil aliud sunt qvàm ipsum Ens vel sub certâ negatione vel sub relatione rationis conceptum e.g. Unum est ens sub negatione divisionis, Bonum est ens sub relatione convenientiæ, Verum est ens sub relatione ad intellectum divinum. Verùm enim verò definitiones prædictæ rem acu non satis tetigisse nobis videntur. Qvare nos seqventem amamus: *Affectiones entis sunt conceptus entis secundarii, qui cum eo reciprocantur, non nisi ratione ab eo distincti.*

XIX. Ad faciliū ac feliciū intelligendam prædictam definitionem, addimus explicationem. Vocamus *conceptus*, per qvos intellectos volumus non tam formales, qvi juxta Svarezium dis^p. 2. sunt actus sive verba, qvibus intellectus rem aliquam seu communem rationem concipit; qvàm objectivos seu materiales i. e. talia objecta seu tales realitates, qvæ immediate per conceptus formales cognoscuntur seu repræsentantur.

XX. Vo-

X X. Vocamus conceptus *entis*, per qvod intelligimus πρώτως ens re & ratione abstractum i. e. ens restrictum nec ad materialia nec ad immaterialia, δευτέρως tamen qvo minùs etiam particulare ens intelligatur nihil prohibere videtur.

X XI. Vocavimus conceptus *secundarios*. Sicut enim in re quālibet duplices offendimus conceptus, alteros primarios; secundarios alteros, qvorum illi competunt rei ita ut, cur competant, non possit dari ratio à priori. Hi verò competunt rei ita ut, cur competant, possit dari ratio à priori e. g. in quantitate offendimus extensionem, offendimus etiam divisibilitatem, illam ut conceptum primarium, hanc ut secundarium. Similiter in ente, in qvo conceptus primarius est conceptus non repugnantiae ad essendum; Secundarii verò sunt affectiones simplices vel disjunctæ. Dixi secundarios in plurali non singulari, non enim est unus sed plures conceptus, qvos verò simul & semel ad unum omnes comprehendere neqvis. Nam sicut Cœlum, unum est, sed simul omnia, qvæ in ipso sunt, comprehendere non potes, ideo in varios Horizontas sensibiles dividi illud ab Astronomis didicimus: Ita ens uno conceptu hauriri neqvit, ideo in varios conceptus eosqve inadæqvatos, distinctioris cognitionis gratiâ, dispescitur.

X XII. Ex hoc ὡς παρόδῳ dispalescit, qvid affectiones enti addant. Nimirūm ens si consideratur confusè, nihil addunt, tunc enim in ejus definitione continentur; Sin distinctè, addunt aliqvid, non qvidem certam essentiam, distinctionem tamen & certam expressionem.

X XIII. Dicitur porrò in definitione *qui cum eo reciprocantur*. Reciprocantur unitæ unitim, disjunctæ disjunctim, e. g. dicitur rectè: Omne ens est unum & omne unum est ens: Omne ens est verum, & contrà: Omne ens est bonum, & contrà. Omne ens est causa vel causatum, & omne causatum vel causa est ens. Omne ens est necessarium vel contingens, & contrà &c. Atqve hanc convertibilitatem intelli non ratione essentiæ sed ratione suppositi benè advertit *Scharfius in Theoria Transcendentali diff. 6. §. 10.*

XXIV. Ex

Demonstran-
tur.

XXIV. Ex hâc convertibilitate fluit, qvòd attributa de ente possint demonstrari. Qvodcumque enim cum subiecto suo convertitur ita ut habeat causam, propter qvam ipsi insit, id de eo demonstrari potest. Atqvi attributa entis cum ente, suo subiecto convertuntur, & habent causam propter qvam ei insit: Ergò attributa de subiecto possunt demonstrari. Minor probatur hoc ipso, qvia attributa fluunt ex primo entis conceptu, ideò habent causam propter qvam ei insunt, qvæ est, qvia non habet terminos involventes contradictionem e.g. Cur omne ens est necessarium vel contingens? Resp. qvia non habet terminos involventes contradictionem.

Distingvun-
tur ratione,

XXV. Denique dicitur in definitione: *Non nisi ratio-
ne ab eo distincti*. Huc pertinet, qvod habet Philosophus lib. I.
Metaphys. c. 1. ὁδὸν τὸ ἔτερον τὸ ἐν οὐκ τὸ δὲν. Qvod h. l. Ari-
stoteles dixit de Uno, verum est de omnibus attributis. Ne-
que enim affectiones h. l. consideramus in summo rigore, quo
respectu realiter distinguunt à suo subiecto affectiones Physi-
cæ, e. g. frigiditas ab aquâ, sed in latitudine & generalitate eâ,
qvâ præscindunt à DEO & creaturis, atqve sic ab ipso Ente se-
cundùm rationem ratiocinatam tantummodo sunt distinctæ:
Quippe in formali suâ ratione & præcisè entitatem nullam im-
plicant, sed realitatem tantum diversamqve conceptibilita-
tem ab ente, licet materialiter & concretivè essentiam invol-
vant.

XXVI. Illustro uno & item altero simili: Etiam in
DEO concipis attributa, cùm tamen inter eum & ejus affectio-
nes nullum interveniat reale discriminem. Notum enim est illud:
Qvicquid est in DEO, est ipse D E U S. Sic in quantitate,
concipis divisibilitatem, qvæ tamen non nisi ratione ratiocina-
tâ ab eâ est distincta.

Sunt reales.

XXVII. Dicis, cur dicuntur affectiones reales nisi dif-
ferant ab ente realiter? Sed nulla est consequentia, cum & mo-
di rerum sint reales, nec tamen differant ut res à re. Dico autem
affectiones reales, qvia nec fingantur, nec sint nihil, sed funda-
mentum habeant in re, siqvidem essentialiter includunt ens, e.g. u-
nitas entitatem indivisam &c.

XXVIII. Heic

X X V I I I. Heic dicam non immeritò impingendañ opis
nor Javello τῆς πάση ὁδῶς αἱ Φαριαρτανομένω, qvi lib. 4. Metaph. Javellus ne-
qvæst. 2. affectiones illas, qvæ à subiecto realiter distinguuntur, nominat reales & demonstrabiles. Illas verò qvæ solâ ratione à subiecto distinguuntur, vocat demonstrabiles quidem, gans petitur.
sed non reales : Propterea autem vocat non reales, qvòd à subiecto non realiter distinguantur, qvæsi verò, qvia aliquæ affe-
ctio non realiter à subiecto distinguitur, proptereà non sit rea-
lis; Absit sententia hæc carbone notanda !

X X I X. Nec obstat, si qvis porrò objiciat, qvòd nihilominus affectio realiter distingvi debeat ab ente, qvia de eo enunciari debet in secundo modo dicendi per se, qvi inter subiectum & prædicatum requirit reale discriminem. Sed spuria hæc est conditio secundi modi per se, qvia demonstratio inter terminos suos realem non requirit distinctionem. Ergò nec iste modus dicendi secundus per se. Minor probatur, qvia proprietas divinæ demonstrari de DEO possunt, ubi illa realis distinc-
tio neutiquam est.

X X X. Ex his dictis seqvitur, affectionem cum Ente Non faciunt
non facere compositionem, qvia non addit essentiam à naturâ
Entis diversam, sed illud tantum afficit. Principiorum enim, compositio-
causarum & partium est componere, modorum & affectionum nem.
afficere, determinare & distingvere. Sic manum materia &
forma ut principia componunt ; Contractio verò manus in
pugnum & expansio illius in palmam non componunt, sed il-
lam unam eandemque aliter afficiunt. Sic characteres perso-
nales in unâ numerò essentiâ divinâ è DEO simplicissimo non
faciunt DEUM compositum ; Sed illam ipsam essentiam ita
modificant, ut persona prima sit lignens, Secunda genita, Ter-
tia procedens. Nec tamen lignens est genita vel procedens,
nec genita lignens vel procedens, nec procedens lignens vel
genita.

X X I. Dividuntur affectiones in simplices seu unitas & Divisiō.
Conjunctas seu oppositas, qvam distinctionem fundatam vi-
demus in libro i. poster. Anal. c. 4.

Simplices.

Ternarius po-
nitur.

probatur.

Nec Existen-
tia.

XXXII. Simplices definimus, qvòd enti adæqvatè in-
sint & cum eo convertantur sub uno conceptu, i.e., ut non inclu-
dant oppositos. Tales sunt tres: Unum, Verum, Bonum, ex
communi Metaphysicorum sententiâ ipsiusqve adeo B. Stalii in
Compendio Metaph. c. 4. Conclus. 5. qvamvis idem in *discursu ad*
Tab. 2. alius ab hâc sententia videatur, ubi sequentia habet
verba: Unum, Verum, Bonum tria esse entis attributa simpli-
cia, tam firmiter multi sibi persuasum habent, ac si esset articu-
lus fidei. Sed sanè bonum & verum esse Entis affectiones, non
potest satis probari. Verùm enim verò, qvia tradita definitio
affectionum ipsis attribui facile potest, non est nobis causæ satis,
cur à Sententiâ tritâ discedamus.

XXXIII. Esse verò tantùm tres, cum Eustachio à S. Pau-
lo part. 3. *Metaph. disp. 1. qvæst. 2.* sic demonstramus: Passio-
nes seu proprietates debent aliquid addere; Cùm omnis pro-
prietas addat aliqvid ad rationem subjecti, cuius est proprietas:
At non possunt addere aliqvid positivum reale, cùm nec sint
formaliter entia. Cùm igitur nihil possint addere ad rationem
entis positivum reale, necesse est, ut aliqvid addant vel negati-
vum vel positivum rationis seu per denominationem aut conve-
nientiam ad aliqvid extrinsecum. Priori modo constituitur pas-
sio Unius, qvia negatio divisionis in se, in qvâ consistit ratio u-
nitatis, conseqvitur omne ens secundùm se & absolutè conside-
ratum & convenit omni enti ut sic. Posteriori modo constitu-
untur duæ aliæ passiones: Una per respectum rationis ad intel-
lectum, diciturqve Verum; Alia per habitudinem ad appeti-
tum; diciturqve Bonum.

XXXIV. De cœtero hîc multum disceptatur, an existen-
tia etiam sit affectio entis simplex, qvod autumat Timplerus o-
mnibusqve nervis stabilire conatur, propterea eam in fronte
attributorum ponit lib. 1. *Metaphys. c. 4.* Sed minùs rectè,
qyoniam existentia cum ente non reciprocatur. Nam qvan-
do Ens constituitur subjectum Metaphysicæ, intelligitur Ens in-
differenter sive acta sive potentia. Verùm Existentia non com-
petit enti in potentia, qvia Existentia significat modum Entis, ut
productum à suis causis.

XXXV. Idem

XXXV. Idem nos sentiendum putamus de *Durazione*: Nec duratio.
Duratio enim vel idem est quod Existentia vel aliquid eam
consequens, vel est certum genus Entis, quod prædicamentum
Quando constituit.

XXXVI. Quod denominatus modò Tiplerus & Impos- Nec Impos-
sibilitatem inter unitas entis affectiones referre audet, rationem bilitas.
non videmus. Non magis eam affectionem esse credimus, quam
repugnans ipsi Essentiæ.

XXXVII. Res & aliquid secundum quosdam dicuntur Nec Res nec
Proprietates simplices, verum male, sunt namque ipsius entis Syn- Aliqvid.
onyma. Quod si de Ente prædicarentur, Synonyma de Syno-
nymo prædicarentur, Prædicatione sane identicâ. Itaque quod
proprietas sit, distinctum esse debet à subiecto.

XXXVIII. Sunt qui simplicem affectionem facere volunt Nec Ubi.
in Ubi. Sed non est, quia 1) non reciprocatur: Convenit enim
tantum singularibus & existentibus. Imò 2) non convenit omnibus existentibus, e.g. DEO, qui est ubique.

XXXIX. Sunt qui Pulchrum affectionem simplicem vo- Nec pulchri-
lunt. Sed ostendant isti, illud cum Ente reciprocari. Ad Pul- tudo.
chritudinem propriè dictam requiritur integritas omnium par-
tium, debita proportio, & nitor. An tria hæc in omni ente re-
periantur, illi profert.

XL. Perfectum nobis objiciunt. Verum distingvimus, Nec perfe-
vel enim significat id, cui nihil deficit in suâ naturâ, & sic idem etum:
est ac Bonum transcendens: vel significat, cui nihil perfectionis
addi potest, & ita non reciprocatur cum ente.

XLI. Tandem intelligibile & appetibile inter unitas recense- Nec Intelli-
ri affectiones, sunt qui pugnant. Sed pugnant εἰς κενόν. Ete- gibile, nec
nun illud ad Verum, hoc ad Bonum non sine ratione dicimus Appetibile.
spectare.

XLII. Haec tenus de simplicibus; Breviter de disjunctis. Disjunctæ.
Sunt autem disjunctæ affectiones, quæ non nisi cum disjunctione
cum ente reciprocantur, seu quæ important rationes oppositas,
quarum neutra cum ente per se reciprocatur, e.g. esse universale
vel singulare, neque potest aliquid esse simul universale & singu-
lare. Neutrum per se sumtum cum ente reciprocatur. Non
enim

enim omne ens est universale nec omne ens est singulare. Sed omne ens est universale vel singulare, & qvicqvad est universale vel singulare, estens. Nimirum locum heic habet vocula disjunctiva *Vel*, *Aut*, non conjunctiva *Et*, qvia alias duo opposita essent simul in uno eodemque subjecto, id qvod fieri non potest. Si enim ens simul esset necessarium & contingens, contradictionem implicaret.

Vel immediatè.

vel mediataè.

Utrarumque respectus.

Numetus & Ordo.

XLIII. Disjunctæ hæ affectiones iterum sunt in dupli differentiâ, qvædam convenient Enti immediate, primæ dictæ; Qvædam mediataè, ortæ dictæ. Immediate qvidem, quando nullo mediante attributo simplici dicuntur de Ente, ut: *Esse principium vel principiatum, esse causam vel causatum &c.*

XLIV. Mediataè verò qvæ mediante attributo simplici ens denominant & cum eo reciprocantur disjunctivæ. Et qvidem mediante Uno τὸ perse vel per accidens, Simplex vel Compositum, Universale vel Singulare: Mediante Vero, Tὸ Naturale & Artificiale, Mensura & Mensurable ceu cum *Combachio lib. Metaphys. c. 25.* non ignobiles docent Metaphysici. Mediante Bono, τὸ Perfectum & imperfectum.

XLV. De his conjunctis seu immediatis seu mediatis affectionibus tribus bolis observamus, eas dupli constare respectu, uno ad Ens tanquam subjectum, à qvo perinde ut simplices affectiones nequaquam realiter sed saltem formaliter, vel juxta nostrum concipiendi modum differunt; Altero inter se, qvo unum affectionis conjunctæ membrum respicit alterum, & ita differunt realiter, qvia sunt relationes oppositæ sibi mutuò incommunicabiles.

XLVI. Qvot tandem numero sint conjunctæ affectiones & qvo ordine singulæ tractari debeant, generalis nostra tractatio non admittit, specialem tractationem alii temporis vel aliis reservamus. Inter hoc damus

SOLI DEO GLORIAM.

Corol-

Corollaria.

1. Montem aureum non-Ens non dicimus, sed ens potentiale. Licet quidem nuncquam extiterit, nec existat, posse tamen existere non repugnat. Si enim partes existere possunt, cur non & totum?
2. Homo est tertiae declinationis. Tò homo non est pars enunciationis.
3. Memoria non est sensus internus, quia nec cognoscit nec dijudicat, quæ officia sunt sensus interni.
4. Stella non sunt infinite.
5. Res publica non est cætus multorum hominum ; contra Bodinum Lib. I. de Rep. c. I. & Keckermannum in præcogn. Polit. Resp. enim est forma; coetus autem multorum hominum est materia. Atqui definire Remp. per cætum multorum hominum nihil aliud est quam definire animam per corpus
Nemo

6. Nemo se ipsum afficit injuriā. Quis enim adulterat uxorem suam? aut quis furatur bona sua? Injuria igitur, quā quis afficitur, est ab alio.

7. Præter causam exosæ sunt Judeorum fabule. Non magis rejiciendas eas putamus quam fabulas AEsopi, quas admodum valde conducere novimus omnes. Quidni idem de Judaicis dicamus fabulis? Imo sunt alii bonifines plures ad quos ipsæ faciunt.

Ad Præstantiss. Dn. Respond.

NON levis iste labor Physicæ
transcendere metas:
Ad metam venies, auguror,
inde tuam.

L. FRID. RAPPOLT, Prof.
Publ. & h.t. Acad. Lips.
RECTOR.

Ad

Ad
Præstantissimum Dn. Respondentem suum,
amicum Charissimum.

Est curæ meritò tibi, fidelis
EMI LUCI, Sapientia hæc vocata Prima:
Qvâ ancillante putas iter remotum
Verbi conficer DEI sacrati.
Euge! sic bene, amice, judicabas.
Hinc nullus tenues subis labores:
Transcendentia qvippe acuta promis,
Qveis cœlestis ineft vigor subinde.
Arbor fructibus ex bonis probaris.
Ut LUCIS similes feras, precabor,
Fructus: perge dehinc, DEUM precatus,
Exantlare graves tuos labores;
Falsus sim, nisi opes graves seqventur.
Nam Phœbus facilis tibi favebit;
Nec vanos titulos tibi parabit.

f.

PRÆSES.

Privatum

a. w.

PRivatim & publicè hactenus Auditoris, Amice,
Egisti partes non sine laude tua.
Nunc publicè logveris cernat Te doctior Ordo,
Ac testis sit de sedulitate tua.
Cordicitus grator Conamina, Biga quod istud,
Et Fratrum faciat vix dubitare potes.
Rite premas Horum vestigia, sicque Beatum,
Patrem unà referas faxit Iöva potens.

Præstantiss. Dn. Respondenti, 'Amico
suo pluribus ab annis Dilectissimo festi-
nanti Calainô scribebat

M. GEORGIUS GERHARDUS,
Radeberg. Misn.



Coll. dics. A. 36, misc. 50